

mussitationes tanti momenti nocumentique sunt, ut adversus ipsas sese premunire Pastorem deceat.

2. In eis statuendis vel augendis perquam prudenter se habeat Pastor, et tunc quoque tantum quum sufficientia ac constantia ad rem media in praesenti ac [in quantum licet] in futuro haberi possunt praevideat; et ad rem ratio in comperto est. Quapropter qui aleatoriis in re adiumentis [ex. gr. pani S. Antonii et similibus] sese committeret, an prudentiae leges servaret, cordati viri dicant; qui et an incertam eleemosynarum intermittentiam pauperes probe comperiant addere possunt.

3. Praefiniti ad hoc dies ac hora e sedulo serventur, ac, ut plurimum, hisce distributionibus Pastor ipse adsit, quo, dum petentes adeo dignoscit ut paroecianos a coeteris qui tales non sunt secernit, aptis verbis, et eorum spiritualibus necessitatibus aptius subveniens necnon grati animi sensus se ipsum erga [jure meritoque] fovet.

c) Ne ad canonicae ianuam tum ipse, tum [facilius] ancilla, avertant faciem suam a paupere<sup>1</sup>, neque conterant egenum in porta quia pauper est<sup>2</sup> numquam satis devitabit Pastor, quem haec agendi ratio semper quam maxime dedecet. Comiter, itaque, semper excipientur indigentes, nec unquam etsi eleemosynam praestet, duris querulisve verbis eos antea exasperet et amaricet; nam cum misericordia alteri impeditur non indignari, sed gaudere oportet, monente Scriptura: *in omni dato, hilarem fac vultum tuum*<sup>3</sup>. Si vero, his in adiunctis, mussitationibus ac querimonis ancillam inservire Pastor compererit, severe eam admoneat redarguatque, et si non emendetur, potiusquam pastorale ministerium, indirecte quidem, at efficacissime pessumdet, eam dimittat. Eius, enim, agendi rationem in Parochum a plebe refundi, iam monuimus alibi<sup>4</sup>.

d) Quacumque ratione eleemosynae denegandae potentibus sint, semper adeo comiter id fiat ut de negatione fere ac de elargitione ipsi gaudeant. Paterna, igitur, caritatem redolentia verba adhibeantur, externa caritatis commiserationisque signa ne desiderentur, et ut denegationis caussas pauperes ipsi amoveri satagant, peramanter adhortabitur Pastor. Si vero [ut nostris praesertim temporibus facile contingit] tanta audacia ipsi laborent ut, potiusquam eleemosynam quaeritare, propria exigere videantur, tunc quoque tam comiter se habeat, ut sua condicionis sci, propriis obligationibus sedulius satisficiant. Certationes, enim, heic ad nihilum prosunt.

<sup>1</sup> Deuteron., XV, 9.

<sup>2</sup> Prov., XXII, 22.

<sup>3</sup> Ecclis., XXV, 11.

<sup>4</sup> Cfr. ind. alphabetic. Ancilla.

e) Eleemosynarum gradum ac ordinem ita statuat Parochus ut suos paroecianos caeteris, bonis optimos, mediocribus bonos, ordinariis pauperibus pauperiores preeferat. Semper vero, tum ad indigentes electos, tum ad seipsum quoque tutandum, secreto haec omnia tegatur, ac ne ad copiosiores carpendas eleemosynas hypocrisis adhibeat, sedulo advigilandum est. Has ac hos, enim, qui quaeve ad sacrum poenitentiae tribunal, ad SS. Communionem ac ad Ecclesiam frequentissime accedunt ut stipem a Parocho facilis captare possint adesse, omnibus in comperto, quos omnes si Pastor advigilet, plures laqueos effugiet. Hos inter et quidam adsunt qui innumerias persecutions, imminens suicidium, viatici necessitatem, aliaque similia praetexentes, suppliciibus ac lacrimis tam perseveranter confessarios [ac iuvenes praesertim sacerdotes] lassunt, ut optata ab eis quoquomodo expilare valeant. At hos coeterosque omnes de his rebus in confessione loquentes ne audiantur, et quae post confessionem [sed non in poenitentiae tribunali] ipsis praestanda sint, peculiare circumstantiae dicent. Quae, denum, cum his servanda qui minatoriis vel anonymis epistolis ad hoc utantur in comperto est: contemptus, nimirum, et ad judiciales auctoritates recursus.

f) Orphanos, vero, peculiari caritate prosequatur Pastor, ac grandioribus praesertim puellis [ne iniquorum innocentiae latronum misera praeda fiant] peculiari sedulaque caritate subveniat. Utrosque, vel apud bene morigeratos Parentes, vel in hospitiis [ecclesiasticis personis commissis] collocare satagat.

g) Viduas [praesertim si adhuc iuvenes, forma nitentes ac filiorum honustae sint] ne, ad necessitates sublevandas, in perversorum incident laqueis, peculiari modo Pastor adjuvet, quin ulla modo ullaque ratione alterum maritum ipsis comparare audeat, quod gravissimae perniciosissimaeque imprudentiae foret.

h) Senibus vero ac infirmis, necessariis auxiliis destitutis, peculiarem caritatem impendat Pastor, et ut hi qui domi curari sublevante nequeunt, in hospitiis ac valetudinariis recipientur, curabit; quod, tamen, plurimis in adiunctis, haud facile assequetur. Nam hos inter qui hospitia omni nisu refugint complurimi habentur; quos, tamen, ut spiritualibus eorum medeatur infirmitatibus, derelinquere haud decet.

i) Cum malae famae ac vitae personis, et in eleemosynis elargiendis perquam caute se habeat Pastor; nam si his quoque indulgeret, vitio conniveret, quin etiam ut, indigentiae caussa, ad bonam frugem se recipient nitendum est. Si vero sinceram emendationem polliceantur [quod, re et effectu, ut alibi monuimus, rarissime contingit] [maiori cum cari-

tate hae habeantur, ac ut in quodam poenitentium hospitio sese recipient, suadendae, et ad rem pastoralem polliceri operam praestabit. Si ipsae adnuant, de earum conversione facilius credendum; si vero renuant, valde, e contrario, haerendum est. Si denum ex aliis rerum adjunctis hoc fieri nequeat, probationis ad instar, ad tempus adiuvandae et interim sedulo, indirecta ratione, advigilanda esse videntur.

*l)* Pudica paupertas, ac illorum qui ex divitiis in indigentiam dilabere quam maxime Pastori cordi sit; sed an, potiusquam pudori, inertiae tribuenda sit attente disquiet.

*m)* Ne fallaciis locus pateat, ut plurimum, directe potentibus tantum eleemosynam tribuat Pastor, et si quae mater filiam ipsi ad hoc mittat, eam admonens ut mater ipsa personaliter se sistat, vacuam dimittat. Hac ratione, dum iuvenili pudori consultit, et quasdam versutissimas matrum insidias, quibus ad abundantiorum captandam stipem per iuvenes filias eum commovere nituntur, validius contradicit<sup>1</sup>.

*n)* Tandem, ut divites eleemosynam pauperibus impendant, Pastor suadeat, quibus illa Psalmistae verba recolebit: *beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*<sup>2</sup>. Dominus quippe ait: *quamdiu fecistis uni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis*<sup>3</sup>. Sed in re, ne Pastores importuni videantur, perquam cauti se habebunt, ac eo minus ad eos pauperes dimittant quod, ut plurimum, valde ingratum ipsis manet.

**509.** — Quae diximus praesertim de privata ac personali Pastoris caritate intelligenda sunt, quibus igitur quaedam nunc de altera publica addere praestabit. Nempe:

*a)* His in civitatibus ubi pauperum-desiderantur Hospitia, ut, consulta Ordinario, collatis viribus, fundari et construi queant, sollicite diligenterque Pastores satagant.

*b)* Ut horum Institutorum omnium, bona temporalia, fructus, redditus, ac obventiones cum religiosa cura et parsimonia administrentur, ut sexus separantur, aedes munditia niteant, disciplina domus sancte servetur, ac sive sanis, sive aegrotantibus incolis de necessariis omnibus debite convenienterque provideatur, si in Pastoris potestate est, sedulo prospiciat.

*c)* Sed, praesertim, ut omnes ad quos spectat adeo auxilia spiritualia assiduo studio inibi degentibus impendant ut domus illae religionis solidaeque pietatis cultura florescant, Pastor satagat.

<sup>1</sup> Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 217.

<sup>2</sup> *Psalm. X, 4, 2.*

<sup>3</sup> *Matth. XXV, 40.*

**510.** — Verborum apostolicorum, igitur, Pastores memores: *beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci; talibus, enim, hostiis promeretur Deus*<sup>1</sup>, patres pauperum esse norint. Ipsa, enim, praestantissima virtus castitas omnem splendorem et vim aedificandi amittit, si avaritiae labi maculata fuerit; immo eadem defectus et fragilitates [quae fere vix unquam declinantur] velamine quodam obtegere solet. Sicut ad divinarum benedictionum fontes, sic ad animos etiam fidelium nil tam expeditam facit viam, quam beneficentia; ita, enim, a natura conditi sumus ut qui, beneficentia duce, nos insequuntur, ad eorum consilia ac vestigia sequenda trahamur.

## § II. — De Actione Sociali, seu Populari in genere.

SUMMAE RERUM. — **511.** De Ecclesiae in re materna sollicitudine. — **512.** Huius actionis finis qualis. — **513.** Quae eius notae seu qualitates esse debeant ex nuperim pontificis documentis indigitatur. — **514.** Quae in re a Pastore ratio servanda sit. — **515.** Huius actionis praxis, SS. D. N. Pio PP. X duce, exhibetur.

**511.** — Quamquam Sancta Mater Ecclesia, spirituale christifiduum salutem uti primarium sibi praestituit finem, attamen [pro materna quam de dilectissimis filiis suis sollicitudinem semper gessit] ad eorum spirituale bonum multum conferre si prosperam vel saltem minus incommodam vitae agendi rationem bene ordinata Societas ipsis suppeditet perspicue intelligens, omni quidem tempore, nostro autem potissimum, hanc perarduam provinciam excolendam, iure meritoque, sibi asseruit suscepitque. Gravissimum sane eorum errorem dicentium Ecclesiae iura in humana societate ad spiritualia tantum coarctanda esse [quasi a temporalium rerum rectione aliena foret pronuncianda] semper Ipsa repulit gravissimoque anathemate perculsit<sup>2</sup>. Quapropter [ut fidelis per saecula historia docet] non modo in colendas animas, sed etiam in his quae ad materialem huiusque terreni exilii perarduam peregrinationem spectant, sua Ecclesia collocare studia, sui officii debitum esse censuit. Tristissimis, vero, temporibus nostris,

<sup>1</sup> Hebr., XII, 2.

<sup>2</sup> Cfr. Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891; *Graves de comumni*, 18 jan. 1891; *Sapientiae Christianae*, cit.; *Constanti Hngarorum*, 2 sept. 1893; *Officio sanctissimo*, 22 decemb. 1887;

*Etsi nos*, 15 febr. 1882; *Quod apostolici*, 28 dec. 1878; *Diuturnum*, 21 jun. 1881; *Instruct. S. C. Negot. Extraord.*, 27 jan. 1902; *C. Officiorum ac munierum*, 25 jan. 1897; *S. U. Inq. decret. Lamentabili*, 3 jul. 1907.

in quibus rerum novarum semel excitata cupidus, turbulentum hominum periculosissima contentio, ad iudicium pervertendum concitandamque seditione multitudinem studium, dominorum inhumanitas ac interdum, in humiliis barbaries, effrenata competitorum cupiditas, materialismi, communismi, ac, praesertim, versutissima ac fallacissima socialismi lue ubique flagrante, adeo plebem comimovere ut aeris periculi suspensa formido indesinenter animos exagit, quam saepe, quam strenue ac composite, tum Leo f. r. XIII<sup>1</sup>, tum SS. D. N. nunc gloriose regnans Pius PP. X<sup>2</sup>, documenta de re edixere et omne genus Instituta promovere, adeo omnibus elucet, ut de re plura effari minime oporteat.

**512.** — Ad *Actioni Catholicae* verum solidumque fundamentum praestendum ut finem, seu programma, cui ipsa intendere debet in primis indigitemus rectus tractationis ordo postulat. Ad rem Leo f. r. XIII edicebat: *Ad alendam actionem vitae christianaee augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est ut numero, consensu efficiendis rebus, floreant lateque amplifcentur Societas, quibus maxime propositum sit fidei christianaee virtutumque coeterarum retinere et incitare studia*<sup>3</sup>. De societatibus, enim, dilabentibus [alibi Idem monebat Pontifex] illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt. Haec, enim, omnium, consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi cuius gratia institutae sunt; ita ut motus actusque sociales eadem causa pariat quae peperit societatem<sup>4</sup>. Quo sane elucet quam longe a veritate aberrent qui reforment Ecclesiae operam, hisce praesertim diebus, pro tenuiorum salute enixe impensam, in reipublicae ordinis detrimentum demum concessuram. Non, enim, de re prophana agitur, sed de religiosis maxime negotiis; nam ex Evangelio documenta vitae hominibus omnibus inculcanda, Ecclesia potissimum malis medetur humanis; civilium rerum autem convenienti aequilibitate obtenta, concordia maxime florescit, super qua caelestis illa caritas aedificatur, quae non modo secura ad superna semita est, verum etiam, effusione sua, et in publicis rebus optatam salutem

<sup>1</sup> Cfr. Leo XIII, in citatis documentis.

<sup>2</sup> Cfr. Encycl. *E supremi*, 4 oct. 1903; Epist. *Instaurandum*, 6 nov. 1903; Motu Proprio, *Fin dalla prima*, 18 dec. 1903;

Encycl. *Il Fermo proposito*, 11 maii 1907; SS. D. N. Pii PP. X, Serm. *Nous vous remercions*, 19 april. 1909; Id. Con-

vera soddisfazione, 10 maii 1909; Encycl. *Edita saepe*, 26 maii 1910; Deliberat. *Episcopor. Longobard.*, 13 aug.

1901.

<sup>3</sup> Epist. *Etsi nos*, ad Archiepiscop. ac Episcop. Ital., 15 febr. 1882.

<sup>4</sup> Encycl. *Rerum Novarum*, cit.

adducit. Pro huiusmodi, igitur, caussa [qua civilium ac temporalium rerum felix faustaque temperatio exoritur] Pastores adlaborasse, ac pro sancto Regni Dei adventu saluberrime decertasse, revera est. Idque *nominatim sacrorum Ministri populi Pastores omnes intelligent oportet, quos in rem intendere omnes animi industriaeque vires adhortamur*<sup>1</sup>.

**513.** — His rationum momentis innixi, argumentum aggredimur, quo non modicae spiritualium ovium suarum saluti Pastorem conlaturum fore certo animo confidimus. Quod, ut opportune [ut par est] feratur, huius socialis popularisque actionis genuinam in dolem ac figuram describemus, cuius qualitates seu notae sunt:

a) Ecclesiae obedientia fundamentalis catholicae actionis qualitas extat, quae si quoquomodo deficiat, eius sub sancto nomine, ipsi incongruentia et forsan indigna patrarentur. Quapropter *quidquid consilii in eadem caussa vel singuli, vel consociati homines efficiendum suscipiunt, meminerint Episcoporum auctoritati esse penitus obsequendum. Decipi se ne sinant vehementiori quodam caritatis studio; quod quidem si quam iacturam debitae obtemperationis suadeat, sincerum non est, neque solidae utilitatis efficiens, neque gratum Deo*<sup>2</sup> Idcirco [nisi peculiari Apostolicae Sedis venia accesserit] quidquid mala originis ac peioribus consequentiis autonomismum sapit, a Catholicis Consociationibus omnibus, sedulo, semper, ac in omnibus arcendum, ut Ordinariorum auctoritati, immo et optatis, fideliter studeatur. *Qualecumque, enim, omittere opus, potiusquam extra, vel contra Ordinarii voluntatem peragere, melius est*<sup>3</sup>.

b) Confessionalitas [uti aiunt] insuper, altera catholicae actionis fundamentalis qualitas est, cui tum in se ipsa, tum in eius asseclis non minus quam obedientia erga Ecclesiae ac Ordinariorum auctoritatem student. Enimvero:

I. Quoad actionem ipsam spectat, cum haec ab Ecclesia condita sit ut quae eius sunt placita in societatis vitam deducat, si neutralitat inseruiret, socios quoque neutros adsciseret, et non quae Christi, sed quae indifferenti sunt promoveret, quae tamen, ut clare patet, imminuere, non augere profecto est. Catholicae, igitur, cum hae Associationes compellentur, re et effectu, in omnibus semperque *catholica ratione, catholicis principiis, catholica praxi* inserviant. Si itaque, heic quoque, peculiaris Apostolicae Sedis licentia haud intercedat, quidquid neutralitatem redolet

<sup>1</sup> Leo XIII, *Graves de communi*, cit.

<sup>2</sup> Leo XIII, *ibid.*

<sup>3</sup> Segret. Stat., 28, jul. 1904. ad Ital.

Episcop. — Cfr. Pius IX, brev. *Non sine moerore*, 21 jan. 1877: *Epist. Secr.*

*Status ad sac. Fongoli*, 8 jan. 1910.

ab ipsis arcendum est, ut *catholicitati* in omnibus semperque studeatur. Ceterum si aliquid in re minuendum sit loci Ordinarius dicet.

II. Et in harum Consociationum omnium sociis haec confessio-  
nalitas, seu *catholicitas* requirenda quam maxime est; quae si quo-  
quomodo deficiat, cum haud exiguo huius actionis detimento et coete-  
rorum forsan scandalum ac inimicorum laetitia, eius scopus omnino pes-  
sunderetur vel ad incongruum finem verteretur<sup>1</sup>. Quapropter *Consociationes*  
*huiusmodi eo primum ac potissimum spectare volumus, ut quoquot in illa*  
*cooptentur, christiano more constanter vivant. Parum, profecto, interest*  
*quaestiones multas subtiliter agitari deque iuribus ac officiis eloquenter*  
*disserti, ubi haec ab actione fuerint seiuncta*<sup>2</sup>. Idcirco qui in divinis legibus  
atque Ecclesiae praceptis sancte integreque servandis, in religione libere  
aperteque profitenda, in omnigenae demum caritatis operibus exercendis,  
nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu se habent, elegantur ac  
sedulo custodiuntur<sup>3</sup>. Enimvero, illustria tot Christi militum exempla,  
longe magis valitura sunt ad commovendos animos rapiendosque, quam  
verba exquisita que disceptationes; fietque facile ut, abiecto metu, depulsis  
praeiudicibus ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum tradu-  
cantur pervehantque, ubique notitiam eiusque et amorem,  
quae ad germanam solidamque beatitudinem sunt via<sup>4</sup>. — Sed ad haec omnia  
perficienda *Divina Gratia opus est* quae apostolo, Christo haud coniuncto,  
non elargitur, et tunc tantum cum Christus formemur in nobis, hunc  
Christum in familiis societateque diffundere valebimus. Quapropter qui  
catholicae actioni praesunt, vel ipsi sese dedicant, genuini catholici esse  
debent, qui fortes in fide, de religionis rebus instructi, Ecclesiae ac, pecu-  
liari ratione, huic Supremae Apostolicae Cathedrae ac Christi Vicario  
obsequentes, pietate, solidis virtutibus, vita intemerata pollutibus, efficaci  
exemplo omnibus sint. Si, enim hae desint, difficulter in aliis bonum pro-  
movebitur, intentionis rectitudo facile amittetur, et ad apostolatus, adversa-  
riorum calumnias ac humanam ingratitudinem tolerandam et, interdum, et  
amicorum actioni sociorum talouiarum [quae, quamvis excusabiles, ma-  
guum attamen detrimentum afferre consuescunt] preferenda incom-  
moda, fere impossibile contingit<sup>5</sup>. — Dum, igitur, ut bellantium  
catholicorum agmen magis magisque in dies augeatur, horum bonitas

<sup>1</sup> Cfr. Godts, *Op. cit.*, p. 122.

<sup>2</sup> SS. D. N. Pius PP. X Encycl. *E Su-  
premi*, 4 oct. 1904.

<sup>3</sup> SS. D. N. Pius PP. X Ibid. — Cfr.  
Epist. Segret. Stat. *ad Com. St. Medolago-*  
*Albani*, 19 mart. 1909: Eiusd. *ad Angel.*

Fongoli, 3 jan. 1910; Deliberat. *Epi-  
scop. Longobard.* 1909.

<sup>4</sup> Id. Encycl. *E Supremi*, cit.

<sup>5</sup> Id. Encycl. *Il fermo proposito*,  
11 nov. 1905.

cum numero copulari hi ad quos pertinent nituntur, attamen ne alterum  
prima noceat, sedulo invigilant. Ab adversariorum, vero, tentoriis pro-  
ficientsibus Catholicarum Consociationum aditus vix pandatur, ne po-  
tiusquam adiutores, proditores, miserrime, comparentur.

c) Catholica Actio inter catholicae doctrinae proxim sese con-  
tineat. Igitur :

I. *Cum re politica nullo modo nullaque ratione sese com-  
misceri audeat, politicantium partium studiis ac finibus ne inserviat,*  
quum hoc ab eius fine omnino alienum sit, quod tantum in eo est ut  
naturae, iuri ac Evangelicis innixa praceptis, benefice in populo actioni  
diligenter studeat<sup>1</sup>. Ad Italiam vero quod attinet talem tantamque in  
politica catholici partem suscipient quae a SS. D. N. Pio PP. X praefinita est<sup>2</sup>, et quam in praxi decernere Episcopis tantum spectat, quibus  
ordinationibus ac optatis, et in hoc quoque, Pastores animarum per-  
quam fideliter studere tenentur.

II. Catholica actio longe absit ut propositum subdatur omnis  
abiendi obedientiae eosque adversandi qui legitime praesunt. Reve-  
reri eos qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdemque iusta  
iubentibus obtemperare, lex aequa naturalis et christiana praecipit. Quod  
quidem ut in homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et of-  
ficio praestari oportet, scilicet, propter conscientiam, quemadmodum ipse  
monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potest utibus*  
*sublimioribus subdita sit*<sup>3</sup>. Quapropter ut in familiis, in scholis,  
in omni societate, Christum et quae eius sunt instaurentur, quae populi  
et praesertim operariorum agricolarumque sunt adeo tueri ut non tantum  
christianis principiis ipsi regantur [quibus huius vitae angustiae facilis  
perferuntur], sed ut eorum tergantur lacrimae, poenae linientur, ac oe-  
conomica eorum condicio melioretur apte adlaborare, tandem ut publicas  
leges iustitia informentur, et, quae ipsi adversantur corrigantur vel in  
dissuetudinem veniant satagere<sup>4</sup>, Catholicorum Consociationum profecto  
est. At in constitutas Potestates quoquomodo impeti, ac, eo magis,  
adversus ipsas coniurare, iis qui catholicis nomine ac professione glorian-  
tut, minime licet. Sed qui politicas factionibus inservientes ad horum cur-  
rum Ecclesiam niterentur [quo et eius auctoritati quam maxime  
nocerent] quomodo sacrosancta Ecclesiae jussa servarent?

<sup>1</sup> Pius X *Fin dalla prima enciclica*, 18  
dec. 1903. — Cfr. Leo XIII, *Graze de  
commun.* cit., et *Istruct. Negot. Eccles.*  
extraordinar. cit.

<sup>2</sup> Encycl. *Il fermo proposito* cit.  
<sup>3</sup> Leo XIII, encycl. *Graves de comm.* cit.  
<sup>4</sup> Pius X, encycl. *Il fermo proposito* cit.

III. Catholica actio sana democratia, non demagogia excoletur. Idcirco dum primae inserviendo, coetibus omnibus debita recolit, attamen ne adeo humiliorum iura extollat ut tum in verbis, tum in factis ne ditiorum altera pessumdet minimum, in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores praeterire videantur..., quorum tamen non minor est usus ad conservationem perfectionemque civitatis. Praecavet id christiana caritatis lex. Haec ad omnes omnino cuiusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius eiusdemque familiae, eodem benignissimo editos Patre et redemptos Servatore, eamdemque in hereditatem aeternam vocatos. Quare, propter nativam plebis cum ordinibus coeteris coniunctionem eamque arctiorem ex christiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacumque plebi adiutandae diligentia impenditur; eo vel magis quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operaे advocari...<sup>1</sup> Quapropter eorum praesertim advocanda est benigna opera, quibus et locus et census et ingenii animique cultura plus quiddam auctoritatis in civitate conciliant. Ista si desit opera, vix quidquam confici potest quod vere valeat at quae-sitas popularis vitae utilitates. Sane ad id eo certius breviusque patebit, quo impensis multiplex praestantiorum civium efficientia conspiret<sup>2</sup>. In postremis binis devitandis scopolis assidua Pastorum cura sit, quam ex eorum neglectu gravissimas ac non semper irrationalibes actioni catholicae difficultates provenire consuescat. Politicorum partium, enim, studio Ecclesiae Sanctae auctoritas [quae pro omnibus constituta] quibusdam [et haud semper catholicis, immo et theisstis] prostituitur; classis vero [uti aiunt] luctae, plurimorum aduersiones ac derisiones, quae in apostolico ipso ministerio refunduntur, omnino inepte captantur. At quis sapiens et custodiet haec?<sup>3</sup>

f) Sed, neque id excidat unquam, consilia vel optima ad irritum cadere et inanem laborem suscipi si animorum consensio desideretur, atque in agendo concordia. Quid, enim, efficient bonorum divisae vires adversus coniunctum impetum hostium? Aut quid singulorum proderit virtus, nbi nulla sit communis disciplina?<sup>4</sup> Quapropter, ut inter catholicorum agmina caritas concordiaque regnent, nisu omni contendendum est, et ne, animadversionibus ac iniuriis, ad invicem sese lasset, quam maxime devi-

<sup>1</sup> Leo XIII, encycl. *Graves de communi cit.*

<sup>2</sup> Id. Ibid. — Cfr. Instructio C. Negot. extraord. cit. ad IX, b.

<sup>3</sup> Psalm. CVI, 43.

<sup>4</sup> Leo XIII, Encycl. *Militantis ecclesiae*, cit.

tandum. Si vero quaedam in re differentiae oboriantur, potiusquam in diariis enuntiare, Ecclesiasticam Auctoritatem convocent, quae iustitia tuebitur<sup>1</sup>. Sed hic scopolus, in quo [proh dolor!] catholicam actionem [lacrimantibus oculis] adeo impinxisse conspicimus, ut, dum salutis emendationisque spe vix locus est, et D. Bernardi illud: ubinam concordia, ubi non discordia<sup>2</sup>, iure meritoque, ingeminari possit. Hac ratione, dum Crucis Christi inimici [diabolica industria] ad invicem sese sustentant, ac propria scandalosa facinora sollerter tegunt, nos, e contrario, adversus fratres ac commilitones, saepe pro nihilo, privatim coniuramus, ac adeo in ipsos publice ac personaliter impetimus, ut si quid minus laudabile in ipsos reperimus, crepantibus buccis, [Iudeo laetante] terrae coeloque annuntiamus! Iustitiae caritatisque Ecclesiae Sanctae salutaria monita spennentes, illam in disputabilibus libertatem ab Ea omnibus concessam, nobis tantum, tamquam potestatem habentes, reservamus, et si quis, et in minimis, a nostra sententia discrepet, per gravissimae modernismi notae [immo, si in eum adhibetur qui iuramentum antimodernisticum praestaverit, inusto gravissimae, inurenti vero periculosissimae] eum afficere haud dubitamus. Sed ad quid, quaeso, caritati, veritati, iustitiae, quin immo, et ipsi urbanitati haec agendi ratio prodest? Dum, enim, in fratres impetum, vafermos dominici agri praedones negligimus, et caritatem lacessendo funditusque perimendo, spiritualia omnia bona amittimus; tandem, dum haec omnia tumultuarie agimus, quo iure ac quaque ratione caritatem iustitiamque in humiliis instaurare servareque valimus? Quare vehementer hortamur ut remotis importunis controversiis partiumque contentionibus, que facile animos dissociare possunt, de curando Ecclesiae bono omnes uno ore consentiant, collatis viribus in id unum conspirent ac eamdem afferant voluntatem<sup>3</sup>, solleciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis<sup>4</sup>. Ecclesiae, igitur, magisterio fideliter innitentes, in ipsa ac cum ipsa, adeo caritas diffundatur in cordibus nostris, ut errores inseguendo, sed errantes semper diligendo [ac ideo caritative eos habendo], non de fratribus casu, sed de eorum resurrectione festanter laetemur. Hac enim ratione tantum, caritate fraterna ad invicem nos supportantes ac adiu-

<sup>1</sup> Instruct. S. C. Negot. Extraord. cit. — Cfr. Pius PP. X, Motu Propr. *Fin dalla prima*, die 18 dec. 1903; Leo XIII, brev. *Ad Congres. Faesulan.* 3 august. 1896.

<sup>2</sup> *De duodec. grad. humilit. gr. X.*

<sup>3</sup> Leo XIII, encycl. *Militantis ecclesiae* cit. — Cfr. Eiusd. *Longinqua Oceanii*, 6 jan 1895; *Est sane molestum, epist. ad Archiepisc. Turon.*, 17 dec. 1888; *ad Episcop. Urgellens*, 20 mar., 1890;

<sup>4</sup> *Ad Ephes.*, IV, 3.